ANIMADVERSIONES IN HISTORIAM DE ARTHRITIDE CUM COMPLICATIONE...

Almerico Marangoni

ANIMADVERSIONES

IN

HISTORIAM DE ARTHRITIDE

CUM

COMPLICATIONE GASTRICO-VERMINOSA

IN

AEGRO CURATO IN CLINICA SCHOLA

QUAS

AD MEDICINAE LAUREAM

RITE ASSEQUENDAM

ANNO MDCCCXXXI

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

PUBLICE PROPONIT

ALMERICUS MARANGONI

EX S. APOLLINARI

POLICINIENSIS PROVINCIAE

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXI.

Non hypotheses condito:
non opiniones vendito:
quod vidi, scripsi.
Stork, Annus Medicus.

Si in tanta hodiernae medicinae luce a juvene vix studiorum scholasticorum curriculum emenso esset fere irrationale novi aliquid de medicina repetere; si jam cognita exponere apud viros in omnibus scientiae medicae partibus peritissimos, et debita claritate distribuere, opus esset non leve nec non audientibus taediosum, imaginamini quaeso, Professores praeclarissimi, quinam fuerint mei animi sensus, dum mihi pro munere academico hac die aliquid in conspectu vestro de medicina disserendum imponebatur? Quod si mihi nullum dubium, nulla mora in obtemperando legibus academicis, nil satius, nil venia forsan dignius putabam, quam, praetermissis vagis opinionibus speciosisque hypothesibus, Stork ipso docente, quasdam proferre observationes, quas, in curatione ab eximio professore

Federigo habita aegri mihi qua adsistenti commissi in Clinica Schola anno proxime elapso, potui colligere.

Praemissa itaque brevi historia morbi, animadversiones qualescumque futuras solita benignitate vestra, O. P., accipite.

Nobis curandus erat Angelus Michieletto Patavinus, aetatis trium et decem annorum, famulus, a sanis parentibus agricolis natus, temperamento asthenico-excitabili, gracilique corporis compage praeditus, nulla tamen vexatus dyscrasia. Optima semper gavisus valetudine ad decimum aetatis annum pervenerat, cum febri gastrico-verminosa correptus, post quadraginta dies tantum convaluit. Iterum amica risit salus, et solummodo ad decimum tertium annum vitae evectus, cum repetitis vicibus aeri humido frigidoque noctu praesertim sese exposuerit, cibisque et pravae qualitatis, nec non quantitate excedentibus incaute indulserit, coepit mense Martii anni proxime elapsi laborare morbo, a quo curandus nobis offerebatur.

Supervacaneum hic arbitror speciatim symptomata referre, quorum tamen qualitas ac complexus agi de Arthritide acuta, cum adfectione gastrico-verminosa sat clare deponebant; et qua talem morbum curantes methodo energica antiphlogistica, nempe quatuor venae sectionibus, dosibus non parvis et kermetis mineralis, et extracti aconiti napelli, decoctionibus lignorum diaphoreticorum, non praetermissis ab initio oleo seminum ricini, mercurio dulci etc.; qua eva-

cuantibus atque anthelminthicis, post varias remissiones ac novas morbi exacerbationes, tandem post curam per mensem circiter protractam aegrum nostrum pristinae valetudini restituimus.

Exposita sic quam breviter aegrotantis nostri, et morbi, a quo fuit vexatus, ipsius decursus, felicisque exitus historia, liceat sequentia notare.

Et in primis quis non videat, quisve inficietur quantum praxis medica debeat studiis tot clarissimorum virorum ultimis nostris temporibus florentium? Pretiosa quidem praecepta divitesque observationes ac veluti bases atque fundamenta prima fabricae medicae majores nostri tradiderunt; sed quanta assiduitate quantisque curis in eam posteri intenderunt, ac, quantum fieri poterat, eamdem locupletarunt! Quanta in libris antiquorum remanent desideranda! Quanta saepe in morborum diagnosi obscuritas! Quanta in eorum denominatione imperfectio! Quanta in remediorum actione confusio ac in eorum administratione incohaerentia! Quae si non omnia, magna ex parte tamen a neotericis aut deficientia sunt addita, aut imperfecta ad perfectiorem statum redacta. Et revera nonne recentiores, et praecipue Itali nostri Rasori (1), Tommasini (2), Fanzago (3), aliique fuerunt, qui in omnibus morbis, et diathesim, et conditionem pa-

(1) Storia della febbre epidem. di Genova.

(2) Della febbre gialla e sue lezioni sulla diatesi.

(3) Institutiones pathologicae etc.

thologicam in primis inquirentes, et symptomata qualiacumque qua ipsarum effectus retinentes, morborum denominationes ex eorum indole ac essentia et magis exactas, et magis philosophicas trahi contenderunt?

Quod si nec parum est in scientia, quae qualis medica, tam latis signatur finibus, tantisque est obsita difficultatibus, aequiorem ac opportuniorem statuisse in rebus ordinem, quanto laudabilius ac praestantius recentiorum opus apparebit, quando quae emolumenta praxis medica traxerit, recte perpendatur? Et revera, ut ad nostrum casum accedamus, cur, sequentes veteres auctores aliunde illustres, morbum nostrum synocham rheumatico-arthriticam designare debuissemus, si Arthritidem simpliciter enunciando et morbi naturam et sedem, scilicet et diathesim, et conditionem pathologicam complexi sumus? Quid plura quaeram, si ex simplici morbi designatione et generalem curativam methodum determino? Browniani dicant synocham, qui soli diathesi summum imperium concedentes partes organismi ipsius primitus ac specialiter nolunt aegrotantes. At cum contra auctoritate tot clarissimorum clinicorum tum nostrae, tum antiquissimae aetatis, nec non observationibus millies repetitis, compertum sit, nisi semper, saepe ac saepius tamen morbos diathesicos, et speciatim phlogisticos, a processu speciali organi vel partis alicujus derivare, defendemus, febrim phlogisticae indolis, nostro in casu, nil aliud esse quam symptoma, quam indicem diffusionis processus phlo-

gistici ad vasa majora, ideoque minime in diagnosi qua primarium morbum nominandum. Et revera cur febrim, et non cephalaeam, non cutis siccitatem, non sitim, et similia commemoramus?

Quod de symptomatibus, et de causis commode concludere possumus. Nam cur in diagnosi morborum diathesicorum causam aliquam nominabimus, si eadem morbos summe varios, et si causae variae et saepe oppositae simillimos morbos parere valent? Praeterea quoties ignotae egerunt causae, dum notam aliquam aliunde innocentem accusamus?

Tandem, quod summum est, nonne morbus (praecipue si de phlogisticis loquamur) semel natus, ut Harthmanni (1) sermone utar, per se et vivere, et crescere, organismi quodammodo adinstar, potest, omnino a causis producentibus independens?

Ex quibus, ni fallor, jure concludam aequiori pacto nos egisse, omissis complicatioribus ac inutilibus adjunctis, morbum nostrum primarium Arthritidem nominando.

Sed nec simplicem habuimus morbum pertractandum. Admonuimus jam superius et complicationem gastrico-verminosam fuisse praesentem. Et quid naturalius, quod, dum de Arthritide aeger noster aegrotaret, et de adfectione gastrico-verminosa, audeam dicere, quasi necessario debuisset?

Quoties auctores de Arthritide consului, quo-

(1) Institutiones Pathologiae generalis etc.

ties arthriticos vidi curandos, et toties legi, et toties conspexi, hoc in morbo functiones tubi gastro-enterici notabiliter esse aberrantes.

At hic Gallus Broussais, nimio systematis amore, defendat hanc gastricam adfectionem omnibus in casibus nil aliud esse quam irritationem, sive, quod ipsi idem sonat, veram inflammationem. Ego non libenter concedam, tanto magis quod aliquando et speciatim nostro in casu vidi, paucis pharmacis evacuantibus, brevi tempore, quod inflammationis non est, adfectionem gastricam omnino cessisse morbo primario, Arthritide nempe adhuc saeviente.

Quod si generalis ac perpetua non est vera gastritis, certe constans est reperire statum quemcumque humorum sive succorum gastricorum, qui, communi practicorum consensu, viscositas, aut saburrae gastricae vocatur. At viscositas, saburrae gastricae ex una parte, ex alia aegri nostri temperamentum asthenicum-excitabile, gracilis corporis constitutio, dispositio ex eodem morbo alias passo, aetas juvenilis, qualitas causarum supradictarum nonne complexum illarum conditionum constituunt, ex quibus, omnibus docentibus pathologis, persaepe evolvi, aut excitari solent vermes?

Hinc concludam me a vero non procul aberrasse cum asserui, aegrum nostrum, tum cum Arthritide corripiebatur, et adfectione gastrico-verminosa debuisse quasi necessario vexari.

Ad ulteriores observationes gradum faciamus: L' infiammazione è sempre un processo di azio-

ne accresciuta .... L'infiammazione in qualunque fondo, ed in qualunque circostanza si accenda è sempre il prodotto di un eccesso di stimolo nelle parti almeno, che ne sono attaccate. Et alibi: La flogosi ove si risvegli è processo indipendente dal maggiore o minore vigore del sistema, ed indipendente sì dalla precedente come dalla contemporanea debolezza dell' universale. Et similia legimus in Tommasini (1). Et quomodo res aliter esse poterit? Si isti reapse non essent proprii characteres phlogoseos, quomodo in nostro individuo, qui etiam in statu sano imaginem naturalis ac habitualis hyposthenіae praeseferebat, quomodo inquam ipsa et accendi potuisset, et qua talis usque ad morbi finem perseverare? Et quod ab initio esset vera phlogosis, praeterquamquod symptomata sat clare loquebantur, et, quod si Rasori (2) concedere velimus: che non si danno sintomi certi e caratteristici della diatesi, la certezza dovendo venir soltanto dall' uso dei rimedii; methodus ipsa energica antiphlogistica, cum tanto aegrotantis levamine adhibita nonne indubium testimonium exhibet?

Nec solum ab initio et augmento, sed et sub declinatione semper eadem ejusdemque naturae apparuit phlogosis. Et revera erat vigesima quarta morbi dies, cum sub vicissitudinibus atmosphaericis quasi de repente adeo est exarcebata arthri-

(1) Dell'infiamm. e della febbre continua.

(2) Memoria sopra l'uso del tartaro emetico nelle peripneumonie.

tica inflammatio, ut altera venae sectione opus fuerit, dum diebus praeteritis quasi ad convalescentiae statum perductus videretur aeger.

Nullius solitus jurare in verba magistri, et cum aliunde non parvi momenti in praxi medica mihi videretur habenda propositio Rasoriana sic enunciata: Tolerantia tartari emetici, atque aliorum contrastimulantium est in ratione quantitatis diatheseos: omni cura jamdiu intendebam, ut, si fieri posset, mihi compertum foret, utrum ad aegrotantium lectulos aut qua vera, ex toto, aut ex parte admittenda, aut qua falsa, et omnino rejicienda.

Ex nonnullis igitur a me collectis observationibus adnotavi: Tartarum emeticum, aquam coobatam lauri cerasi, et similia contrastimulantia in diathesi hypersthenica, et praecipue in peripneumoniis ab initio morbi usque ad finem praescripta, solis venae sectionibus adsociata, fere omnibus in causibus quoad dosim fuisse tolerata reapse in ratione intensitatis diatheseos; et tali modo tolerata, ut cum duodecim tartari emetici grana in nycthemero praescripta in acmine peripneumoniae vomitum nullum, nullas alvinas dejectiones producerent, duo grana sola sub finem morbi excitare et vomitum et diarrhoeam valerent.

In aliis casibus tamen, ut in gastritide, enteritide ac Arthritide observavi, tum tolerari doses majores contrastimulantium, quo major diathesis, tum vero hanc rationem non sequi. Sed praeterea ultimis hisce in casibus saepe videre

datum fuit, quod dum unum contrastimulans minime, aliud in dosi relative eadem optime ferebatur.

Ex quibus omnibus videor concludi posse, si non in omnibus casibus, in majori ipsorum tamen numero veram reapse a me compertam fuisse Rasori propositionem. Hic tamen si in aliis unquam, hac certe in re, quo plus aut minus statutum a Rasori principium praxi respondeat, judico non solùm conditionem pathologicam, sed et magis aegri individualitatem valde conferre.

Postquam talia generali veluti modo exposui, silentio non praeteream me adnotasse in aegro nostro remediorum tolerantiam perfecte fuisse in ratione intensitatis diatheseos. Nam aeger qui dosim non levem et kermetis mineralis, et extracti aconiti napelli in Arthritidis exarcebationibus perferebat, sub dimidia etiam istorum remediorum dosi, remissionum tempore praescripta, tum nausea ac vomitu, tum diarrhoea, ac sensu insolitae debilitatis adficiebatur. A quorum phaenomenorum adparitione semper criterium de mitigatione morbi habuimus, et postremo ad finem morbum ipsum tendere potuimus judicare; nec in spe nostra decipiebamur.

Ut fidelis historicus nihil omittam, quod cum casu nostro aliquam habeat relationem, hic mihi placet commemorare, nos in curatione aegri nostri et remedium expertos fuisse adeo ab Hildebrand juniore in Arthritide commendatum, nempe stupam cannabinam fumo thuris imbutam ad articulos aegrotantes adplicitam. Quod si

nostro in casu nullum sensibile emolumentum datum fuit ab ipso recognoscere, debitam laudem Professori praeclarissimo non denegabimus, dum, ut ulteriora experimenta hac in re a practicis observatoribus instituantur, desiderabimus.

Tandem ut oratiunculae qualicumque nostrae finem faciamus, postremam in animo est addere animadversionem.

Doctrina crisium antiquorum nunquam tantis discussionibus tantisque controversiis, ut ultimis hisce temporibus, subjecta fuit. Quidam, majorum auctoritati nimis inservientes, crises, qua tales antiquorum sensu, esse admittendas omni studio defendunt; alii e contra, novitatum medicarum nimis seduli, studium crisium qua erroneum a medicina omnino rejiciendum acriter contendunt. Sed et horum et illorum opinioni mihi videtur haud esse omnino assentiendum. Et re quidem vera, quomodo concedemus primis morbos omnes ab evacuationibus sic dictis criticis solutionem repetere? Fluidorum aut aliarum substantiarum sic dictas secretiones aut excretiones constituentium, normalitas, augmentum, imminutio, aut quaecumque alia aberratio undenam repetenda? Nisi ad chimaericas ac poeticas acrimoniarum ideas, ut mos tandiu invaluit, confugere iterum velimus, certe a solidorum statu qua producentium recognoscemus. Quae cum ita sint quandonam videbimus secretiones et excretiones, antea suppressas, aut imminutas, aut qualitative immutatas, ad normalem quantitatem ac conditionem vergere, nisi cum organorum se-

cernentium aut excernentium fabrica, ipsorumque excitamenti gradus in pristinum restituatur? Et hoc in casu quis non videt evacuationes ad normalitatem restitutas esse meros effectus mitigationis morbi, non vero causam? Et sane opportuna hac in re occurrit mihi auctoritas Professoris praeclarissimi Brera (1), qui postquam de crisium divisionibus, de earum natura ac phaenomenis locutus est, sic concludit: Dal che si comprende come le evacuazioni critiche non sono cause del risanamento, ma bensì indizj del risanamento, siccome dal complesso de' nostri ragionamenti si sarà rimarcato, che la composizione delle materie ora evacuate esser deve di già un effetto degli stabilitisi processi morbosi. Questa materia morbosa non potrà essere adunque la causa essenziale dell' affezione nel corso della quale venne elaborata.

Sciens tamen quod fluida jam secreta etiam in propriis receptaculis nonnullas possunt acquirere noxias qualitates, concedam post eorum evacuationem hisce in casibus sensibilius fieri morbi levamen. At si in primo casu nullo modo, ne hoc in postremo quidem, sensu antiquorum, vera crisis vocari meretur. Praeterea quid dicemus de morbis qui cum evacuationibus naturalibus abundantioribus incedunt? Crisis hisce in casibus nonne esset morbosarum evacuationum suppressio? Quod sane contradictorium. Postremo quot morbi, praecipue systematis nervosi sine

(1) Prolegomeni Clinici etc.

evacuationum naturalium vel augmento, vel imminutione, et perdurant, et solvuntur?

Quod vero negligendae omnino non sint evacuationes sic dictae criticae, ut alii volunt, judico, et ex eo, quod ab earum adparitione criterium saepe fidum, saepe etiam solum habemus mitigationis morbi, interdum aliis signis non recognoscendae; et praeterea ex eo quod evacuationes ipsae in causa esse possunt, ut superius adnotavi, cur et magis, et ulterius morbus mitigetur. Quae nec parva et quoad prognosim, et quoad successivae curae administrationem sunt in praxi emolumenta.

Et sic reapse sese habuit res in arthritico a nobis curato. Nam post varias remissiones et exacerbationes, cutis ariditate semper perseverante, tum solum ausi sumus morbi solutionem prognosticare, cum vidimus abundanti ac universali diaphoresi superficiem cutaneam superfusam: et exitus quidem plane nostris secundus cessit votis.

THESES

I.

In curatione morborum diathesicorum, magis conditioni pathologicae quam diathesi ipsi perspiciendum est.

II.

Ut in omnibus causis morbificis, sic et in omnibus remediis duplex actio est admittenda, generalis nempe, et electiva.

III.

Sensu, quo medici Itali diathesim sumunt, non est admittenda diathesis irritativa.

IV.

Irritatio ab inflammatione essentialiter differt.